



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 35. Concilium Beneventanum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Petro, scilicet Victori Papæ, fidem ser-
vaturum, seque ad præstandum Catho-
licis auxilium contra Schismaticos cum
viginti equitum millibus, si opus esset,
venturum.

§. XXXV.

Concilium Beneventanum.

Eodem mense Augusto, anno millesimo *Chron. Cass.*
octogesimo septimo Victor III. Papal. *III. c. 72.*

Beneventum se contulit, cum Episcopis
Apuliæ, Calabriæ & Principatum, Conci-
lium celebraturus. In eo postquam expo-
suisset, Guibertum Antipapam intrusum
fuisse, & Gregorium Papam gravissima
persecutione vexasse, in eum sententiam
Depositionis & Anathematis pronuncia-
vit. His subjungit: *Illud quoque non igno-
ratis, quam atrociter me ipsum læserint
Hugo Archiepiscopus Lugdunensis & Ri-
chardus Abbas Massiliensis, qui ad partes
Schismaticorum defecerunt, postquam Se-
de Apostolica, cui dudum clam inhiabant,
potiti non sunt. Richardus, cum electus
fui, Romæ cum Episcopis & Cardinalibus
aderat. Hugo paulopost venit, qui pedes
nostros exosculatus & honorem Summis
Pontificibus convenientem nobis invitis
exhibens, Legationem in Galliis petiit ob-
tinuitque. Hi quamdiu nos electioni,
quam approbaverant, repugnare conspexe-
runt, rogabant, ne onus abjiceremus, ubi
autem*

Sæculum XI. *autem nos tandem flecti cognoverunt, con-*
A.C. 1087. *ceptam diu flammam comprimere non va-*
luerunt, & videntes, quod Fratres nostri
constanter huic scandalo reluctarentur, au-
si sunt ab eorum nostraque communione
recedere. Quapropter præcipimus, ut ab
iis separati nullatenus communicetis.

Constituimus etiam, ut si quis deinceps
Episcopatum vel Abbatiam de manu ali-
cujus Laici susceperit, nullatenus Episco-
pus vel Abbas habeatur, neque ulla ei ut
Episcopo vel Abbati exhibeatur reveren-
tia. Tali gremium & introitum Eccle-
sia Beati Petri interdiciamus, quousque lo-
cum, quem usurpavit, deserat. Idem de
inferioribus in Ecclesia Dignitatibus ju-
bemus. Si quis item Imperatorum, Re-
gum, Ducum, Marchionum, aut quisquis
alius Sæcularis, Episcopatum aut quamvis
aliam Dignitatem Ecclesiasticam dare præ-
sumpserit, ejusdem Sententiæ vinculo se
adstrictum noverit. Cum hujusmodi igitur
Episcopis, Abbatibus aut Clericis, qui
communicat, vel orat, aut ipsorum Missis
interest, una excommunicationis senten-
tia plectitur. Tales enim ne quidem Sa-
cerdotes rite putari possunt. Penitentia
& Communio a nemine nisi a Catholico
recipiatur. Quod si nullus adsit Catholi-
cus, præstat ab ea abstinere, & invisibili-
ter Domino communicare. His Decretis
auctoritate omnium Episcoporum in
 Con-

Concilio præsentium confirmatis, descri- Sæculum XI.
 pta Exemplaria in Orientem & Occiden- A.C. 1087.
 tem transmissa. Illud vero, quod Victor
 Papa dicit, Sacerdotes Simoniacos non
 esse Sacerdotes, in sensu stricto non est
 accipiendum, sed eis non licere munere
 Sacerdotali fungi. (*)

§. XXXVI.

Victoris III. obitus.

In eodem Concilio Victor Papa gravi-
 ter infirmatus, post triduum, peractis
 omnibus, festinus ad Monasterium rediit, Chron. Caff.
 ubi Oderisium, Ecclesiæ Romanæ Dia- III. c. 73.
 conum, & Monasterii Præpositum, Ab-
 batem constituit. Post hæc convocatis
 ad se Episcopis & Cardinalibus monuit
 iussitque, ut, juxta Gregorii Papæ statu-
 tum, Ottonem Episcopum Ostiensem
 Papam eligerent. Quem quia præsens
 aderat, manu apprehensum ceteris Epi-
 scopis tradidit, dicens: *Accipite eum &*
in Romana Sede locate, meamque potesta-
tem & consensum, quousque id facere pos-
sit, habetote. His ita compositis, se-
 pulchrum sibi parari iussit in ipso Capi-
 tulo, obiitque post triduum decima sex-
 ta

(*) Nempe præsumebat Summus Pontifex
 (quod etiam res erat) Principes Investituram
 dantes & Episcopos eam accipientes, non sine
 dato acceptoque pretio id peragere.